Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 357
Quelle:
Copyright:

CXXXV. VII. 9. 27.

575 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 228. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas exaratus et olim *Fratrum ſancte Crucis in Colonia* Sequentia continet: I. *Compilacio*, ut e calce praeoccupo, *biblie rigmatice per ſanctum thomam de aquino ordinis fratrum predicatorum anno domini. M°. CC°. 82.* Librarii manus indubie Seculi XV. eſt. *Thomas* a. 1274. obiit. Quo ergo Annus 1282? Ni dicas, *Codicem*, e quo Noſter exſcripſit, hunc annum praetuliſſe. At certo, quisquis hic *Rigmificator*, de quo iterum *Cod.* DCXIII. fuit, magno ſe nomine texit; non enim, qui de *Thoma* minutiſſime diſquiſivere, *Oudinus*, *Quetifus*, *Echardus*, alii, Επιτομης hujus Biblicae meminerunt. Incipit illa:

Verbum a principio procedens eterno
Qui cuncta conſilio creaſti ſuperno
Te rogare cupio tibi me proſterno
Purgatos a vicio ſalues ab inferno.

Atque ita ſummatim percurruntur omnes Libri biblici, quorum Nomina in margine notata ſunt, dum in *Apocalypſi* finiatur:

Clamas ecce venio cum fine finali
Nos in fine ſolio coniunge regali. Amen.

II. *fol.* 13. *Prologus proſaicus in nomine domini noſtri ihesu chriſti et glorioſe virginis marie matris eius. Incipit epiſtola ſiue prologus in librum qui dicitur margarita.* Initium: *Sanctiſſimo et beatiſſimo patri et Domino. Domino Clementi diuina prouidentia ſacroſancte ac vniuerſalis eccleſie ſummo pontifici V°. frater guido in eccleſia ferrarien. humilis ſacerdos Obedienciam fideliſſimam et pedum oſcula beatorum. Per ſcripturam ſacram hominibus ſanctis diuinitus inſpiratam* &c. *Guido* hic dictus *de Pileo Vicentinus* e Comitibus *Montisbelli* ex Ordine Praed. a. 1304. ad *Ferrarienſes* adſumtus infulas, quas morte deſtituit a. 1331. memoratur *Trithemio* in *Script. Eccl.* n. 541. Hunc exſcripſit *Polyc. Leyſerus Hiſt. Poet.* p. 2005. (1105) in eo lapſus, quod Noſtrum a *Guidone*, quem prave *Vincentium* adpellat, p. 2126. diſtinxerit. Adcuratius de Eo actum in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 574. unde et *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. 7. p. 132. et 135. ſua tranſtulit. Cum igitur, quae in *Guidonis* Epiſtola ad Literaturam pertinent, jam a *Quetifo* excerpta legantur, id ſolum hic obſervo, *Anterium Clalidianum Poetam*, quem ille a *Guidone* cum *Petro de Riga* et *Tobia* citatum adfert, imperiti Librarii prolem eſſe, legendumque cum *Codice*